



11  
QVOD DEUS BENE VERTAT!  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
SUPERSTI-  
TIONE, SEU VANA OB-  
SERVANTIA,

QVAM

DEO CLEMENTER ANNUENTE ET DIRIGENTE,

SUB PRÆSIDIO

DN. JOH. GUILIELMI BAJERI,  
SS. THEOL. DOCTORIS, EJUSDEMQUE IN AL-  
MA SALANA PROFESSORIS PUBLICI,

DN. PRÆCEPTORIS, AC PATRONI OMNI OB-  
SERVANTIÆ CULTU ÆTATEM PROSEQVENDI,

AD DIEM V. MAJI *May 1682*

IN AUDITORIO THEOLOGICO

PUBLICE DEFENDERE ALLABORABIT

AUTOR

DANIEL JACOB BODINUS,  
RINTHELIENSIS.

---

JENÆ, Literis BAUHOFERIANIS, Anno MDCC LXXXII.



QVOD DEVS VERE VERITATIS  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
SVPBRSTI  
TIONE, SEM VANA OB  
SERVANTIA  
RVM  
DEO CLEMENTER AMMENTE ET BRIGENTE  
VND PRMIDIO  
DAIOM GILIELMI HAFERI  
S. THEOL. DOCTORIS, EUSDEMQUE IN AL  
MA SALANA PROFESSORIS PVBICI  
IN PRAESENTIA SAC PATRONI OMNI OB  
SERVANTIA ET IN AITAM PROSECVENDI  
AD DIEM N. N. N. N.  
IN AUDITORIO THEOLOGICO  
RVM  
DANIEL JACOB BODINUS  
KINHELIENSIS







IN NOMINE SACROSANCTÆ  
TRINITATIS!

L. B.



Omnes inter virtutes morales religionem esse excellentissimam, cum per eam ad DEUM proxime accedamus, intellectui est clarissimum. Ex quo verissime sequitur, omnem hominem, ne solum dicam Christianum, hujus virtutis maximam maxime habere debere curam, ne in opposita vitia cadens, e DEI amore excidat. Maximam vero religionis curam nullus hominum in hac mortali vita rectius habebit, quam qui vitia religioni opposita probe tenet perspecta. Eorum vero alia in excessu, in defectu alia sunt posita: in defectu irreligiositas, quæ dicit contemptum DEI, vel directe, ut atheismus practicus, blasphemia, maledictio DEI, perjurium, tentatio DEI, vel indirecte, ut sacrilegium, simonia. In excessu vero sunt: indebitus DEI cultus, idololatria, divinatio & vana observantia. Omnia quidem & singula hæc cognita habere decet; sed cum vitium ex enumeratis frequentissimum sit, ac sua specie plurimos fallere soleat, vana observantia, quæ sibi superstitionis nomen quasi sola vendicat: visum est, non abs re fore, si hanc dissertationis Academicæ materiam constituerem; & quanquam ad naturam ejus plene ac plane exponendam tractatus magnæ molis foret conscribendus, spero tamen brevitatem exercitio Academico congruam Lectores benivolos esse inventuram.

A 2

CA-



CAPUT I.  
De superstitionis significatione ac  
variis descriptionibus.

§. 1.

**M**axime propria superstitionis significatio in Theologia morali illa est, qua vitium ejusmodi denotat, quo quis ineptis factis, gestibus, sermonibus, aut omissionibus procurare intendit bonum aliquod sive spirituale, sive temporale, quod tamen nec naturaliter, nec supernaturaliter cum illo cohaeret, aut procurari potest.

§. 2. Hic autem in limine dissertationis non abs re quaeri posset: quodnam sit certum cognoscendi principium hujus significationis genuinae, seu unde vocis superstitionis propria significatio certissime cognoscatur: ac respondemus: ex solo usu, qui ab accuratioribus Theologiae moralis Doctoribus dependet. Nam sicut nativa & propria significatio vocabulorum classicorum ex classicis autoribus, sicut vocum popularium propria significatio ex vulgari loquendi consuetudine venit desumenda; ita vocum technicarum & in specie vocum in Theologia morali occurrentium genuina significatio e frequenti Doctorum usu est petenda. Verissimum enim est & alias in scholis analyticis frequentissime demonstratum: vocabula non significare natura, sed ex impositione. Nobis autem de prima impositione, atque ad quamnam rem significandam primus autor voluerit hac vel illa v.g. superstitionis, voce uti, nunquam constare poterit, nisi quatenus a posteris, sive idoneis scriptis, sive viva voce, ipso usu, ad nos antiqua significatio est delata. Praeterquam enim quod primus autor voluntatem suam de certa significatione certae vocis iterum mutare potuit; il-

lud



lud etiam fieri potuit, ut successu temporis contra primi autoris intentionem alia significatio introduceretur, ac prior impositio per cessationem usus abrogaretur; prout multa vocabula hodie non amplius in usu sunt, quæ olim usu recepta fuerant. Videatur *B. Joh. Musæi triaga dissertationum de vocum significationibus.*

§. 3. Itaque neque h. l. de derivatione vocabuli superstitionis ut agamus, opus est, cum non sit universaliter verum, quod vocum significationes propriae ex derivatione sint addiscendæ. Quamvis enim ex vocis derivatione, quid vox ratione originis suæ possit significare? addisci possit; tamen quid actu & proprie significet, inde non æque patet. Quippe si derivatio vocis a voce primitiva certum cognoscendi principium nativæ significationis esset, multa vocabula aliam hodie haberent significationem, quam habent: atque ut vel unum addamus exemplum ζῶον si derivationem spectes est a ζωῆ, quæ omnibus plantis competit, sed usus aliud docet, juxta quem non licet τὰ Φυτὰ ζῶα, plantas animalia appellare. *Vid. D. Dannh. in Herm. Sac. art. 9. nec non in idea B. interpr. & malit. Calumn. part. 1. sect. 2 art. 6.* Itaque quanquam superstitionis vocem deduxerit Tullius l. 2. de natura Deorum a superstes, quod videlicet gentiles totos dies precati fuerint & immolaverint, ut sibi sui liberi essent superstites; Nonnius Marcellus de propr. Serm. cap. 5. n. 36. recitatis verbis Cic. aliam subdat derivationem his verbis: *verè superstitiosi proprietatem ex hoc habent, quod præ cultura Deorum supersedeant cetera, i. e. negligent;* Isidorus Hispalensis orig. lib. 8. cap. 3. superstitionem putat dictam eo, quod sit *superflua aut superstatuta observatio.* (Alias derivationes chartæ angustia excludit). Tamen qua ratione propriam vocis significationem in Theologia morali ex his derivatiunculis certo cognoscere possimus, equidem hætenus videre non potui.



§. 4. Definitionem nominalem & significationem superstitionis excipiant definitiones Dialecticæ, quoniam quæstio: An sit superstitio? in nullis dubitationum vinculis hæsitat. Seneca *epist.* 123. describit superstitionem per errorem insanum, qui amandos timet & quos colit violat. Servius ad *lib.* 8. *Aneid.* fol. m. 1289. superstitio, ait, est timor superfluus & delirus. Clemens Alexandrinus *lib.* 9. *Strom.* f. m. 224. dicit: *δεισιδαιμον*, superstitiosus est, qui timet demonia, & qui omnia refert in Deos, & lignum, & lapidem, & spiritum, & hominem. Ingeniosissimus Thomas Aquinas 2. 2dæ quæst. 92. definit superstitionem, quod sit vitium religioni contrarium, quo vel Deo illegitimus, vel creaturæ divinæ cultus tribuitur. Hinc idem l. c. artic. 2. varias superstitionis species his verbis recenset: diversificantur superstitionis species primo quidem ex parte objecti; potest enim divinus cultus exhiberi, vel cui exhibendus est, sc. Deo vero, modo tamen indebito, & hæc est prima superstitionis species; vel ei cui non debet exhiberi, scil. cuicumque creaturæ, & hoc est aliud superstitionis genus, quod in multas species dividitur, secundum diversos fines divini cultus: ordinatur enim primo divinus cultus ad reverentiam Deo exhibendam, & secundum hoc prima species hujus generis est IDOLOLATRIA, quæ divinam reverentiam indebite exhibet creaturæ. Secundo ordinatur ad hoc, quod homo instruat a Deo quem colit; quorsum pertinet superstitio DIVINATIVA, quæ demones consulit per aliqua pacta, cum eis inita vel tacita vel expressa. Tertio ordinatur divinus cultus ad quandam directionem humanorum actuum, secundum instituta Dei qui colitur & ad hoc pertinet superstitio quarundam observationum. Similiter 2. Ex parte modi distinguit Thomas superstitionem Q. XCIII. ita ut aliam consistere dicat in superfluitate, aliam in pravitate divini cultus. SUPERFLUITATE quidem, si ad Deum colendum, quod neque ad ipsius gloriam, neque ad corpus animumve suo creatori subjiciendum, secundum divinam vel Ecclesiasticam ordinationem pertinet, assumatur. PRAVITA-  
TE



TE vero, si externa ceremonia falsitatis aliquid contineat, quod quidem partim ratione rei denotatae non respondentis, partim ministri publici, aliqua contra Ecclesiae consuetudinem uentis ceremonia accidere potest. Johannes Azorius tom. 1. instit. Moral. l. 9. cap. 11. ita definit superstitionem: Superstitio est vana & inanis religio, quae Deo venerationem & cultum indebitum defert, aut debitum denegat & detrahit. Hinc idem addit divisionem his verbis: Quo fit, ut duo sint superstitionum genera. Unum est quo Deo honor & cultus indebitus datur; alterum, quo cultus Deo debitus denegatur, & rei creatae tribuitur. Primi generis superstitio est, cum quis Deum honorat & colit vanis & frivolis ceremoniis. Deinde cum quis Deo cultum tribuit inanem & vanum, scil. commentitia & futili aliqua ceremonia eum venerando. Futilis autem ceremonia est, quae nec Deo, nec Ecclesiae, nec sanctorum, nec piorum & doctorum hominum auctoritate, nec certa aut verisimili ratione instituta est. Nam temere illud fit, quod absque ratione ulla probabili geritur. Porro in secundo genere superstitionum reponuntur eae superstitiones, quibus diuinus cultus rei creatae deferretur, qualis est Idololatria, & eae superstitiones, quibus aliquid obtinendum, cognoscendum, praedicendum curat quispiam, quod solus Deus dare scire & praenuntiare potest, qualis est diuination.

§. 5. Has definitiones eo fine adduximus, ut per opinionum εὐλόγων nebulam veritatis jubar, ipsa nempe superstitionis natura aliquatenus ad mentis oculos se extendat. Insuper ut ex dictis abunde constet, quam late admodum secundum Pontificios superstitio pateat; nimirum completitur ea totum Idololatriae pelagus, item magiam, diuinationum & maleficiorum varia genera &c. quae singula tantae sunt vastitatis, ut integri & magni iisdem impleti sint tractatus. Sane de Idololatria prostant ingentes libri Gerh. Joh. Vossii; Maimonidis liber ejusdem argumenti, cum interpretatione Latina & notis Dionysii Vossii; Stuckii de sacrificiis Gentil. Johannis Wieri, de prestigiis demonum, in-

can-



*cantationibus & veneficiis; Martini Delrii Disquisitiones magicae Kircheri, (in Oedipo passim) Schotti &c. de divinationibus Peuceri, & aliorum. Nos autem in praesenti dissertatione superstitionem in maxime propria significatione, quam §. 1. hujus cap. declaravimus, quaeque a Moralistis Vana observantia vocatur, ad intellectus trutinam expendemus, definitionem ejus perfectam in capite de superstitionis forma, ceu loco commodissimo tradituri.*

## CAPUT II.

### De Superstitionis causa efficiente.

§. 1.

Accepimus ab Analyticis DDbus; recte discere, esse rerum causas recte percipere; recte docere, esse rerum causas recte tradere, & ideo praecipuum laborem studiorum Academicorum in investigatione, cognitione ac explicatione singularum causarum cujusque rei esse positum. Igitur jam meum erit superstitionis causas accurata, qua potero, & perspicua brevitate explicare.

§. 2. Causa superstitionis efficiens (sicut aliorum peccatorum) spectari potest, vel ex parte actus, qui est materiale ejus, vel ex parte *ἀνομίας*, seu carentiae conformitatis cum lege Dei aeterna. Superstitionis ratione *ἀνομίας* spectatae causa physice efficiens non datur; *ἀνομία* enim quae non importat entitatem realem seu positivam, sed privationem conformitatis cum lege, per realem influxum causae efficientis nec producitur, neque producibilis est. In genere morum autem datur causa efficiens superstitionis; & est agens liberum quodlibet, quod vel directe vel indirecte eam vult aut intendit. Atque ita superstitionis causa sunt Satanas pariter & homines ipsi superstitiosi. Ex parte actus positivi, quem superstitio involvit, causa efficiens physica



sica, tum particularis datur, tum universalis. Et illa quidem, a qua esse determinatum actus superstitionis, ut talis actus est, dependet, simul etiam causa est superstitionis ex parte ἀνομίας spectata. Hæc vero, quæ tantum generaliter, seu illimitate & indifferenter concurrat, & solum ut actus sit, non autem ut talis sit, efficit; Ideo etiam causa superstitionis absolute loquendo non æque dicitur. Quamobrem licet Deus influxum illum universalem, quem omnibus causis secundis largitur, etiam hominibus actus superstitionis exercentibus non deneget, non tamen ideo scholæ Theologorum Deum superstitionis causam dicunt, ne hoc audito credatur, actus superstitionis, ut tales sunt, a Deo proficisci: quod omnino absurdum, dictuque impium fuerit; cum Deus sit summum bonum, & infinite perfectum, a deoque superstitionem, ut talem, quæ non potest non esse peccatum nullo modo, nec directe, nec indirecte intendere potest; prout etiam diserte testantur Scripturæ, Deum non velle peccatum *Psal. 5. v. 6. illud odisse Psal. 45. v. 18. & punire peccatores severissime, Exod. 20, v. 3.*

§. 3. Satanam autem superstitionis causam esse ex parte actus pariter & ἀνομίας negari non potest. Sicut enim induxit ad peccandum Evam, *Gen. 3. v. 1.* Davidem ad numerandum populum *2. Sam. 24.* est mendax & homicida, inducens improbos ad faciendum quæ vult, *Job. 8. v. 44.* agit in hominibus contumacibus *Ephes. 2. v. 2.* Ita semper tum a vero cultus divini objecto, tum modo multis modis homines abducere intendit, & abducit. Sed quemadmodum alias inter causam, quæ directe & quæ indirecte talis est distingui solet; ita & hic observamus, Satanam non directe sed indirecte causam esse superstitionis humanæ. Nam ex usu loquendi apud accuratos philosophos recepto, illud directe causa peccati dicitur, quod interius liberum arbitrium hominis inclinatur ad volitionem ἀνομίας; & quia so-

B

la



la voluntas hominis ut est libera se ipsam per inclinationem ad volitionem peccati determinat, a solo hominis arbitrio peccatum formaliter tale, & sic etiam vana observantia directe pendebit.

§. 4. Indirecte vero Satanas causa superstitionis, qua talis, variis est modis. (1) Quando extrinsecus res aut actiones quasdam objicit v. g. leves ceremonias, quæ intellectui velut media consequendi bonum aliquod apparent, adeoque voluntatem ejus movent ad amplectenda ipsa & exercendos actus, qui revera superstitiosi sunt. (2) Quando eidem sermone ad fallendum apto, seu per se & in apparitione quadam aut sono articulado excitato s. per organa sua persuadet, media illa levia esse proportionata aut saltem bona & hinc appetibilia, licet revera non sint auro honestatis obducta, sed tantum felle turpitudinis tincta. Tertio modo, cum interius hominem ad superstitionem instigat: vel quod per species objectorum ad phantasiam delatas & mediantibus phantasmatis intellectum movet, ut judicet actum esse pium aut saltem indifferentem, qui revera legi divinæ repugnat: vel quod excitat passiones in appetitu sensitivo per motum & alterationem humorum, ex quibus v. g. timor inordinatus, aut bonorum quorundam immoderata desideria accendantur, atque ita deinceps ubi media congrua & salvo Dei cultu adhibenda desunt, appetitus alia undecunque oblata & commendata avide arripiat, atque isto velut stimulo actus ad vanam rerum observantiam seu ad superstitionem procurrat.

§. 5. Quamvis autem diabolus modis ita diversis superstitionis causa esse possit; necessitatem tamen agendi talia s. exercendi hunc aut illum actum superstitionis voluntati humanæ, saltem illi, quæ a Deo nondum deserta aut indurata est, inducere non potest, quippe quæ sollicitationibus istis per gratiam Dei resistere potest: juxta illud 1. Petri 5. & Jacobi 4. v. 7.

§. 6.



§. 6. Quod autem ad hominem attinet, quem superstitionis causam esse, partim exempla antiquiora, partim ad nostram ætatem pertingens experientia pleno loquitur ore: sciendum est, eum hic quoque ut est agens liberum, & ut ad bonum simpliciter determinatus non est, considerari debere. Nempe superstitionem certum est in censum peccatorum actualium referendam esse; ( nisi quod etiam habitus crebris actionibus ejusmodi contractus, superstitionis nomine appellari potest ) itaque quicquid sit de motibus primo primis, ( quos vocant ) qui velut ex necessitate naturæ corruptæ, citra consensum voluntatis, sicut in aliorum peccatorum genere: ita & superstitionis nascuntur; hic tamen voluntas hominis est & manet causa eorum actuum, quorum respectu homo superstitiose agere dicitur.

§. 7. Quod si hæc juxta doctrinam metaphysicorum paulo plenius declaranda sint, dicemus in actu superstitionis consideranda occurrere 1. materiale causæ, seu rem illam, quæ actus istius causa est, adeoque salva veritate causa dici potest, esse hominem: de quo quidem nullus hominum dubitabit, modo attendat superstitionem esse actionem liberam. 2. Rationem causandi, sive id, quo homo aptus est, ut fiat vel sit causa actus superstitionis, atque hoc, quatenus superstitio præcise ut actio moralis spectatur, est liberum hominis arbitrium, hoc est voluntas, quatenus est libera a necessitate. Hinc infantes, furiosi, amentes, non possunt esse superstitiosi: ratio est; quia habent solum liberum arbitrium secundum substantiam suam, non vero habent secundum rationem potentiæ, quia non adsunt omnia, quæ potentia, ut sese exerere valeat, prærequirit. Quatenus vero actus superstitionis ut talis, seu ut est actus superstitiosus & peccaminosus spectatur, sicut certum est, ea agentia libera, quæ vi perfectionis suæ ad bonum sunt determinata, non autem indifferentia ad utrumque oppositorum, bonum & malum,



hoc ipso impediri, ne peccent: ita h. l. ratio causandi in ordine ad actus superstitionis ut tales, quos homines post lapsum exercent, est ipsa corruptio naturæ, ex parte intellectus, voluntatis & appetitus sensitivi. Per hanc enim fit, ut homines & alias peccare possint ac soleant, & speciatim ad bona spiritualia aut temporalia impetranda aut procuranda ineptis & non coherentibus factis aut gestibus studeant & utantur. 3. Causalitas ex parte causæ efficientis, est consensus, hoc est actus ille liberæ voluntatis qua talis, quo quis voluit superstitionis autor esse. Sed hic porro notandum, actus superstitionis homini adscribendos esse, vel ut causæ immediatæ, vel ut causæ mediatæ; prout homo vel ipse agit aut exercet actum vanæ observantiæ non mediante alia causâ efficiente principali, v. g. quando paterfamilias sua manu pomum cum inscriptione: gustate & videte quam bonus est Dominus; vino immittit, ne degeneret in vappam, tunc immediate superstitiosus est: vel mediante alia causâ efficiente principali agit, v. g. si Judæus seruo suo det in mandatis: effunde aquam post elatum funus, ut mors in aquis cultrum mactatorium abluere possit, tunc mediate verissime est superstitiosus.

§. 8. Ceterum mediate homo variis modis actuum superstitionis causa esse potest, prout ejus intentio se exerit vel per omissionem ejus, quo actus superstitiosus impediri poterat ac debebat, vel per commissionem ejus, ex quo pendet & nascitur actus superstitionis. Prioris exemplum est, si verbi Divini præco suis auditoribus, qui toti in vana superstitione vivunt, voluntatem altissimi non proponeret, nec quid vera religio sit, quid e contrario vana observantia serio cavenda iis manifestaret; ita enim ipse evadit superstitionis a suis auditoribus patratae verissimum agens morale, cujus intentio per omissionem se exerit.

§. 9. Posterius, seu quod attinet ad agens mediatum super-



perstitutionis, cujus intentio se exerit per commissionem; iterum (juxta ea quæ alias quoad causas actionum moralium docentur) divisio locum habet, in agens per moralem motionem, & agens absque morali motione.

§. 10. E præcipuis agentis moralis moraliter moventis modis sunt; 1. *jubens*, quod est causa moralis, cujus intentio per jussum se exerit, quo movet causam physicam liberam ad supersticiosum actum immediate producendum, e. g. maxime supersticiosus fuerit ille princeps, qui per leges aut decreta sua ministros coegerit, ut puerum facerent intermuralem, quo arx exstruenda evadat invincibilis. 2. *Consulens*, cujus intentio se exerit per consilium, quo causam physice liberam ad actum vanæ observantiæ immediate producendum movet, sic v. g. qui alterum consilio movet, ut paschatis die, vel etiam die viridium febris pellendæ gratia jejunet, is est verissima actus superstitionis ab altero exerciti causa consulens. 3. *Demandans*, cujus intentio se exerit per mandatum non a superiori profectum, quo liberum agens movet ad superstitionem immediate patrandam, seu cum is, qui imperium in alterum non habet, consentienti tamen negotium dat exercendi actum supersticiosum, v. g. si quis ægrotus ac revalescendi cupidus, cum ipse pedem lecto movere nequeat, amico committat, ut suo nomine munusculum offerat Imagini alicujus Sancti in templo. 4. *Ratihabens*, cujus intentio se exerit per ratihabitionem; quod fit, quando v. g. minister Ecclesiæ approbat ceremoniam supersticiosam ab alio admissam, ita ut ex præsumta ministri approbatione, is, qui usus est ceremonia, actum commiserit. 5. *Laudans*, cujus intentio per laudem superstitionis se exerit. Superstitionis laudem vero vocamus, cum quis forte exemplo sacrificulorum Papalium, actum supersticiosum quem fieri vult utilem & pulchrum esse ostendit, & sic alterum ad superstitionem movet. 6. *Con-*



*sentiens*, cujus intentio per consensum in superstitionem se exerit, ita ut per eum alter ad actum superstitionis exercendum moveatur, qua ratione gubernatores Ecclesie ac magistratus nonnunquam causa sunt superstitionis exercite. 7. *Impetrans* cujus intentio exerit se, dum certo modo a causa physica actum supersticiosum impetrat, v. g. petendo, faciendo, dando, aut alijs modis.

§. II. Superstitionis agens morale mediatum, cujus intentio se exerit per commissionem absque morali motione, est 1. *impediens*, quod nempe intentionem suam exerit, dum impedit, ex quo impedimento sequitur superstitio immediate a causa physica libera, qua ratione qui alium arcet a scrutinio scripturae & lectione scriptorum ad cavendam superstitionem utilium, hoc ipso causa est superstitionis ab eo admittae. 2. *Permittens* cujus intentio se exerit per permissionem in sensu ajente sumtam, qua tamen agens immediatum non permotum fuit ad actionem superstiosam. Dico in sensu ajente: permissio enim dupliciter sumi solet, (α) in sensu negante & sic permissio est cum aliquis effectus causae physicae non impeditur, qui tamen impediri poterat; (causam permittentem superstitionis in sensu negante §. 10. adduximus.) (β) In sensu ajente, & ab hac permissione permittens h. l. denominatur: estq; duplex; aliud, quod dat jus ad superstitiones omnino licite peragendas; aliud, quod tantummodo dat jus, ne quis alius superstiosam actionem licite impedire possit. 3. *Subministrans occasionem*, quando nempe homo alteri omnia, quae ad superstiosum actum requiruntur, ea intentione offert, ut ex hac occasione ipsa sequatur superstitio. Mihi enim, accuratiorum Philosophorum vestigia secuto occasio est praesentia circumstantiarum omnium, qua quis aptus est, ad producendam actionem liberam. 4. *Patrocians post factum*; tale agens ille homo est,



est, qui defensione & patrocinio post commissam superstitionem causæ immediatæ subvenit: etsi hæc patrocinium ejus non præsumserit, neque adeo per illud ad agendum mota fuerit.

§. 12. Hactenus principia activa superstitionis actualiter sumtæ pro nostro instituto mentis oculis adspeximus. Hoc dictis brevissimo stilo addimus. Superstitionis actualiter sumtæ causæ etiam sunt præcedentia peccata & quidem duplici modo; uno per accidens, prout causa dicitur id, quod removet impediens, ut si quis renatus voluntariis superstitionibus amittat gratiam spiritus sancti, qua amissa fiat, ut ut in alias incidat similes superstitiones: altero per se, in quantum ex actu superstitionis patrato homo disponitur ad alium similem patrandum. Hinc fit, ut ex actibus frequentatis prodeant dispositiones superstitionis, ex dispositione tandem habitus supersticiosus, qui ab accuratioribus Theologiæ moralis DDibus dicitur vitium supersticiosum.

§. 13. E supersticioso habitu facili & pleno alio actus supersticiosi possunt fluere; qui vero ex habitu supersticioso peccant, ex malitia supersticiosa peccant, hoc est, scientes & absque ulla passione appetitus sensitivi.

### CAPUT III.

## De superstitionis causis impulsivis.

#### §. 1.

Quod in genere de omnibus peccatis actualibus accuratiores Theologiæ Doctores judicant, nempe neminem de peccatorum differentiis, de eorundem vel excusatione, vel aggravatione, vel diminutione, veram posse sententiam ferre, nisi sedula diligentia ac magna cura causas peccatorum impulsivas investigaverit: hoc equidem ipsum in specie de superstitionis peccato assero, ejus, ut moralitas



tās intimius inspiciatur, causas impulsivas primum internas, deinde externas benevolo Lectori traditurus.

§. 2. Causas *παραγενένας* superstitionis varias tristissima offert experientia. Alium enim impatiens vexat sollicitudo de crastino, qui proinde varia conquirat artificia imminente ante tempus sciendi fortunam, sive secundam sive adversam, huicque posteriori in ipso tempore occurrendi. Alium multiscientiæ affectatio impellit; hinc experimenta varia variorum effectum cupit per media ad rem plane non pertinentia. Alium appetitio imperii in alios stupidiores inclinatur, ut illos variis observantiis, sub sancto religionis pallio circumvenire satagat. Alium mali averruncandi metus adeo percruciavit, ut tandem stulta arripuerit media, iisdem negotium quodammodo si successit, supra modum confidens. Alium auri sacra fames coegit, ad inventiones subdolas, a Diabolo monstratas, plena manu capiendas. Alium appetitio vindictæ cum dolore conjuncta adeo inflammavit, ut cæco impetu in Diabolica superstitionis retia cursitaverit.

§. 3. Hi affectus peccati superstitionis directe non sunt causæ, quia directa via voluntatem nostram ad suos actus trahere aut determinare nequeunt, cum materiales sint; voluntas autem sit potentia spiritualis, neque etiam appetitus sensitivus voluntati imperare potest actus superstitionis, cum voluntate sit inferior. Unde si quis timore percussus actum superstitionis exercuerit, atque ex affectu istoc excusationis argumentum petat, coactum se fuisse obtendens, ei oggeras licet illud antiquum Comici: Coactus tua voluntate es.

§. 4. Sunt autem affectus causæ superstitionis indirecte & quidem duplici modo: 1. *Distrahendo vires animæ*; passionibus enim appetitus sensitivi vehementiores distrahunt & impediunt voluntatem circa sua objecta efficientes, ut  
vel



vel remissius tendat, vel plane non tendat in bona ab intellectu cognita; atque ita etiam speciatim quoad peccatum superstitionis accidit, ut homines non mali, ac de cultu divino suoque officio non parum solliciti, tamen affectu timoris abstrahantur, quo minus agant, quod alias sibi relictum, recte & promte acturi erant, adeoque superstitione omittant, quod agere licebat ac decebat; vel quoad actiones vitæ communis, ad primam aut secundam decalogi tabulam spectantes ibique præceptas; vel speciatim, quoad actiones officii, quas exercendas nec differendas esse satis norunt. 2. Obtundendo rationis lumen & intellectum excoecando; sicut enim alias passiones vehementiores movent facultatem imaginatricem, & consequenter intellectus iudicium non raro cum imaginativa facultate trahunt in objecta sensibilia, & mediante iudicio rationis etiam voluntatem; ita speciatim fit, ut qui vulgo ominosi dicuntur casus ac tantum rerum levium fortuiti eventus sunt, quia tamen formidabili quadam specie occurrunt & inhærent facultati imaginatrici, hoc ipso etiam intellectus iudicium velut obtundunt, aut rationem quodammodo ligant, ne libere in actus exeat, faciuntque; ut voluntas, deficiente intellectus illuminatione, eo potius tendat, quo passio ducit, quam quo tendere debebat.

§. 5. Alias autem ad causas impulsivas superstitionis, quæ sunt intra agentem etiam referuntur *δοκισμοφία* seu præsumptio inanis sapientiæ, & *ἑθελοθησκεία* seu studium colendi Deum proprio arbitratu. Illic enim quando homines supra id, quod Deus de cultu suo revelavit sapere volunt, accidit, ut ineptis modis Deum colant. Hic autem quando voluntas ipsa affectat singulare aliquid circa cultum Dei, quidni rursus superstitio nascatur?

§. 6. Insuper causas superstitiones *προκαταγκηκῆς* si consideramus, multam offendimus earum varietatem. Alii enim



enim aliorum mandatis, pollicitationibus, svasionibus &c.  
alii exemplis saltem moventur, ut superstitiones alias super  
alias committant. Et quemadmodum oscitante uno al-  
ter quoque oscitare vulgo dicitur; sic superstioso uni mox  
similis fit alius, aut multo plures. Regina vero harum im-  
pulsivarum est eventuum quorundam cum uno alterove  
antecedente apparens congruentia: hinc natum illud πολυ-  
θεύλλον: Es ist ein gering Mittel/wer wolte es nicht brau-  
chen, es hilft ja.

#### CAPUT IV.

### De superstitionis subiecto & objecto.

#### §. I.

**H**omini, qui ad actus superstitionis per modum causæ ef-  
ficientis se habet, eosdem actus tanquam subiecto præ-  
dicationis revera competere ac denominationem ut super-  
sticiosus dicatur, largiri, licet in se sit clarum, clarius tamen  
e variis qualitatibus moralibus emicabit. Superstitiosi enim  
homines alii a fide & religione Christiana omnino sunt  
alieni, ac propterea dicti *infideles*, qui vel nihil unquam de  
Evangelio audiverunt, (quia scil. ingratitude aut iniqua  
donorum naturalium collocatione suaque adeo culpa me-  
ruerunt, quo minus verbum Dei illis æque abundanter, at-  
q; aliis prædicatum est, annunciaretur) vel evangelium si-  
bi sufficienter propositum repudiarunt: utrique cum ma-  
lint habere falsam, quam nullam religionem, hoc ipso in  
varia vanæ observantiæ aut superstitionis genera illapsi fu-  
erunt. Alii qui doctrinam Christi, non omnino & quoad  
omnes fidei articulos rejiciunt, unum tamen aut plures ad  
fundamentum illud fidei pertinentes pertinaciter impu-  
gnant, dicti *heretici*; similiter per hoc, quod a vera revela-  
tione



tione divina deflexerunt, ad varias superstitiones seu reci-  
 piendas seu fingendas proni facti sunt & famosi. Alii de-  
 nique intra Ecclesiam quidē constituti ac permanentes, quia  
 tamen non satis firmiter tenent ea, quæ Deus in verbo suo  
 de suo cultu ipse exposuit, aut vetuit, hinc inepta quadam  
 ad cultum sacrum ratione utuntur: nonnunquam etiam  
 dum naturæ vim & operationes ignorant, miras tamen si-  
 bi pollicentur aut fingunt operationes, ubi natura neque  
 agit neq; agere potest: ita multiplices falluntur superstitione.  
 Ad infidelium classem non solum Paganos seu Gentiles refe-  
 rimus verum etiam Judæos ac Mahummedanos. Et Paga-  
 norum quidem superstitiones inventa sat prolixè exposita  
 sunt a multis, in primis a Plutarcho in *de Isidoru*. Ab Ale-  
 xandro Sardo ac Bohemo *de gentium moribus*; a Julio Firmico *de*  
*error. profan. relig.* a Tertulliano, a Clemente Alexandrino. Non  
 exiguam harum rerum notitiam afferunt *Var. Lect. Coeli*  
*Rhodigini*, *Antiq. Rom.* Rosini, Gerhardus Johannes Vossius  
*de Idololatria*, Schedius *de Diis Germanorum*; Seldenus *de Diis*  
*Syris*, Gruteri *thesaurus Criticus*, item navigationes in Ame-  
 ricam hoc & anteced. seculo in lucem editæ. Judæorum  
 superstitiones qui attentius cognoscere amat, adeat Talmud,  
 præcipue vero Gemaram, nec non Cabbalistica scripta &  
 quæ de Theologia & sacris Judæorum Christiani collecta  
 ediderunt, Buxtorffius in *Synagoga Judaica*; Ant. Hulsius  
 in *Theologia Judaica*; Mullerus in *Judaismo ex scriptis*  
*Rabbinorum detecto*; Hoornbekius, Hottingerus; aliique.  
 Mahummedanorum arcana superstitiones cumulatissime ex-  
 posita videri possunt in scriptoribus rerum Saracenicarum,  
 in primis e. Georgivizio, Cotovici *Itinerario terræ sanctæ*;  
 Quaresm. *eluc. terræ S.* Hottingeri *historia Orient.* pag. 340. ff.  
 & lib. 4. *Hist. Orient. Eccles.* p. 791. ff. Hoornbecio *Controv. relig.*  
 pag. 75. Pocokio *de Arab. aliisque. Hæreticorum antiquo-*  
 rum superstitiones innumeras, qui cognoscere cupit, e Phi-



lastrii, Epiphanii, Augustini & aliorum Ecclesie Doctorum scriptis facili negotio cognoscer. Pontificiorum sacra si excutere vellemus & eorum superstitiosa deliria chartis mandare, tractatio nostra esset in prolixum commentarium abitura. Quid enim apud Pontificios non possunt consecratae candelae, agni cerei, contactus rerum sacrarum, reliquiarum, ad loca sancta peregrinationes, sal benedictum, cineres, campanae, rami, flores benedicti, aqua lustralis &c.

§. 2. Ordines diversorum vitae generum etiam inter Lutheranos qui attentius considerat, supersticiosos nonnunquam homines sub verae religionis pallio inveniet. Superstitiones non paucae personis Ecclesiasticis, multae Politicis, plures Oeconomicis adherent. Regulas certas; vanas tamen habent aulici, milites, venatores, mercatores, piscatores, nautae, metallifossores (in primis de sua virgula divinatoria) ruricolae, hortulani, vinitores, coqui, cellarii, opiliones, subulci, servi, ancillae & qui non indulgent mysteriis superstitionis sponso, puerperae, obstetrices, nutrices, sani, aegroti; denique vespillones, sandapilarii, ipsi etiam carnifices, superstiosorum castra sequuntur.

§. 6. Haecenus superstitionis subiectum quod, seu praedicationis, per suas qualitates consideravi; jam ordo doctrinae postulat, ut paucis exponam subiectum quo, seu inhaesionis, cui formaliter inest peccatum superstitionis. Sunt autem subiectum quo superstitionis facultates animae humanae, non tamen omnes, verum illae tantum, quae sunt principia actionum humanarum & proinde rationis aliquo modo sunt participes. Quanquam enim actus superstitionis externi seu transeuntes, quatenus transeuntes sunt, non inveniunt subiectum inhaesionis in agente, sicut tamen iidem ab actibus internis proficiuntur, (atque hac ratione moralitatem habent, & ideo quod contra legem fiunt, pec-



peccata sunt & dicuntur) ita negari non potest, dari intra hominem subjectum inhaesionis actuum supersticiosorum immanentium, cum eorum, qui per actus externos se non exerunt, tum illorum, a quibus externi superstiosi proficiuntur. Nam uti alias actiones immanentes omnes per hoc sunt & dicuntur immanentes, quod in agente, a quo efficienter procedunt, sint & maneat; atque in eadem potentia fiant, a qua sunt. Ita superstiosae actiones in iis animae facultatibus sunt velut in subjectis, a quibus, velut agentibus in semetipsis efficienter dependent; videlicet in intellectu, voluntate & appetitu sensitivo. Vegetativa enim facultas, cum nullatenus particeps sit rationis, non est superstitionis subjectum.

§. 4. Ut autem distinctius pateat, quod de subjecto quo superstitionis diximus, tria in actibus superstitionis spectanda veniunt: (α) actus ipse, (β) *ἀνομία* seu carentia conformitatis cum lege Dei aeterna (γ) ratio voluntarii.

§. 5. Ratione actus & *ἀνομίας* annexae, superstio subjective in ea animae facultate residet, a qua actus superstitionis efficienter dependet, qua ratione cogitatio superstiosa, qua v. g. intellectus assentitur ei, qui vanam observantiam commendat, subjective est in intellectu: volitio ad exercendum actum superstiosum terminata subjective est in voluntate; si vero ejus actus est aliquis concupiscentiae motus, erit subjective in appetitu sensitivo.

§. 6. Quod vero ad rationem voluntarii attinet, quae in actibus superstiosis intellectus & appetitus sensitivi reperitur, certum est eam aequi atque actum voluntarium quemvis subjective esse in voluntate; vel enim imperatus est a voluntate, vel approbatus, atque ita ad voluntatem tanquam ad subjectum pertinet, sicut actus, quo voluntas eum imperat, aut actus, quo voluntas in eum consentit, subjective sunt in voluntate.

§. 7. Alia tamen ratio est facultatis locomotivae &





membrorum corporis, quoad operationes externas superstitiosas. Quamvis enim & illa & hæc itidem subsint imperio voluntatis, non tamen vel locomotiva facultas vel membra corporis superstitionum subiecta sunt, proprie quidem loquendo. Præterquam enim, quod operationes membrorum corporis non immanentes, sed transeuntes actiones sunt, quæ in alio subiecto recipiuntur, quam eo, a quo procedunt (ut supra monuimus) ipsa etiam locomotiva potentia & corporis membra non sunt actionum superstitionum principia propria, sed tantum organa, quæ ab anima velut principio moventur ad agendum.

§. 8. Ipsum superstitionis vitium habituale formaliter est in voluntate: per hoc enim homo est & dicitur superstitiosus habitualiter, quod voluntas ejus ad actus superstitiosos sæpe ac deliberato exercendos inclinata est. Interim non negatur, vitium hoc in intellectu esse radicaliter, seu antecedenter, quatenus intellectus a vero Dei cultu aberrans & vanas illum colendi rationes aut inepta media procurandi bonum naturale aut spirituale amplectenda judicans, vitium superstitionis habituale, quod in voluntate est, utique gignit. Verum ita fortasse etiam in appetitu sensitivo collocaveris superstitionem, quatenus propter passiones aut affectus ibi locum habentes, præsertim metum, superstitionis fecundam velut matrem, superstitio ipsa in appetitu isto antecedenter aut dispositive quærenda videtur. Sed hæc obiter.

§. 9. Ad superstitionis objectum progredimur: quod vel maxima cura est explicandum. Sicut enim res naturalis suam perfectionem ac speciem habet ex forma; ita actio moralis suam bonitatem vel malitiam præcipue habet ex objecto circa quod versatur vel convenienter vel inconvenienter cum sua regula, & in specie superstitio, quæ est peccatum vero cultui divino oppositum, malitiam suam præ-



præcipue ex objecto desumit circa quod disconvenienter a regula seu lege versatur.

§. 10. Objectum autem materiale superstitionis seu id circa quod occupatur potentia activa eorum, qui superstiosi dicuntur, admodum late patet, ac non solum entia verum etiam non entia complectitur. In ratione autem formali objectiva indicanda maxima est dissensio: Ego brevitatis promissæ memor, chartam discordantibus sententiis adimplere non e re esse arbitror; ac potius quæ de hac re cum veritate maxime conveniat sententia paucis exponam. Religioni sive illi virtuti morali, qua debitus cultus Deo tribuitur, oppositum in excessu vitium esse superstitionem, omnes fere accuratiores Theologiæ moralis Doctores docent. Hæc autem superstitio equidem ex mente Thomæ Aquinatis sub se quasi species habet varias, nempe (α) *illegitimum Dei cultum* (β) *Idololatriam*, (γ) *divinationem* & (δ) *vanam observantiam*. Sed in explicanda natura vanarum observantiarum nostram *παραγματοφάνεια* esse positam e capite præliminari patet, hinc ne superstitio strictiori sensu a nobis accepta, vel cum illegitimo Dei cultu, qui ex mente Thomæ vanam superstitionem non includit, vel cum idololatria vel cum divinatione confundatur, hoc adæquatum ejus objectum ponimus; nempe quod versetur circa omnia illa, quæ tanquam bona (vel mala) ad effectus bonos (malos) assequendos (vel avertendos) intellectus concipit & voluntas appetit (vel aversatur) quorum illa tamen nec secundum naturæ cursum, nec secundum divinam ordinationem, principia aut media sunt.

§. 11. Objecta superstitionis specialia, quia possunt esse innumera, a mortalium nemine sufficienter exponuntur. Ut tamen clarior hæc materia mentis oculis appareat, ejus primas tantum lineas ducam.

§. 12.



§. 12. Objecta superstitionis 1. possunt esse non entia, & possibile & impossibile, e.g. si quis ab impostore persuasus, datam sibi in obfignata pixide prunam ex illis, quibus combustus fuerit Laurentius, eamque sanitati conservandæ prodesse judicet, & portet pixidem vacuam; superstitio ejus circa prunam illam occupata pro objecto habebit non ens. At si persuasus pennam ex alis archangeli Michaelis in pugna cum Dæmone evulsam sibi datam, quam ad ar-cenda spectra, secum in theca portet, hanc tamen non nisi inanem habeat; ejus superstitionis objectum fuerit non ens, quod nec est, neque esse potest.

§. 13. Objecta superstitionis 2. possunt esse entia secundum varias, categorias spectanda. Sic substantia independens & infinita, quæ DEUS est, haud raro superstitionis objectum est, quando ineptis gestibus moveri creditur ad exhibendam gratiam; atque hi ad illum diriguntur. Circa spiritus creatos infinitas enarrare possem superstitiones, quorum nonnulli crediti sunt ignei, alii aërii, alii aquatici, alii terrestres; Fauni item, Genii, Sylvani, Lemures, Penates, Manes, Neræides, Naja-des: Lamia &c. Circa hos spiritus occupatas vanas observantias qui cognoscere desiderat, adeat Vossii Librum *de Idolol.* item Gisberti Voëtii *select. disp. de Spectris, Angelis tutelar. de faeminis albis, de parcis, vid. idem Voëtius disp. select. pag. 116.* Ita virunculos istos, dictos *Robolde* delectari crepundiis, tunicisque novis, nemini esse damno, ac potius servis & ancillis in obeundis officiis maximo usui; loquitur etiam quorundam inter nostros superstitio.

§. 14. Vana observantia porro ad coelum & coelestia corpora se extendit, mira que imprimis de eorum influxu in hæc inferiora, ea quoque, quæ ex arbitrio humano pendent, fingit. De his observantiis multa lectu utilia habent Tertullianus *de Idol. c. IX.* Augustinus *de Civit. D. l. s. c. 7.* Azorius



zorius t. 1. *Inst. moral.* l. 9. c. 18, Martinus Delrio *disq. mag.* l. 4. c. 3. Vossius *l. de Idolol.* Voëtius *tom. 2. disp. Select.* p. 1052. & alii plures.

§. 15. Superstitiones circa elementa iterum variant, ex quibus lustrationes per ignem aut aquam ad effectus spirituales adhibitas exempli loco sistimus. Similiter meteo-  
ra superstitioni sunt exposita: neque opus est memorare, quas de nive, de pruina, de rore, de glacie, superstitiones quidam habent opiniones.

§. 16. Si ad mineralia accedimus, superstitiones innumeras offendimus. Ibi virtutes gemmarum naturæ vires excedentes mantelio occultarum qualitarum teguntur. Idem lusus in investigatione metallorum ludi deprehenditur.

§. 17. Sativa & terræ foetus vanissimis etiam subjacent opinionibus & actionibus, præcipue eorum plantationem, insitionem, translationem &c. si consideres.

§. 18. Animalia non paucam superstitionum materiam hodiernum suppeditant; sic in felium forma sagas circumvagari multorum est opinio & metus. De capris dicitur, quod illis utatur Diabolus, ut suis iter expeditum faciat. De avibus aliisque animalibus faustis & infaustis vid. Gruter. *tom. 1. thes. crit.* p. 435. Azor. t. 1. *Inst. Mor.* l. 9. c. 15. August. l. 2. de *D. C. c.* 20. superstitionis actibus accenset, si qui amici junctim ambulantes canem forte intercurrentem velut amicitiae diremto-rem feriant. Amplius circa ipsos homines & partes corporis humani hæc observantia multipliciter est occupata. Sic, qui dextera manu sinistrum pollicem tenent, singultus avertendi causa, superstitiones pronunciat Augustinus *loc. cit.* Sic inter Mahumedanorum arcana reputatur superstitionosa, dum illi contra odontalgiam præsens esse remedium credunt, si ægrotus pilos sive capitis, sive barbæ indat foraminibus petrae illius, in qua fixa fuit crux Christi, ceu referunt autoptæ lo-

D

corum



eorum terræ sacræ De substantiis artificialibus, quæ tamen proprie non sunt substantiæ, multas adferre superstitiones possem, nisi tractatio hujus materiæ prolixior evaderet.

§. 19. Ad prædicamentum quantitatis innumerum superstitionum numerum posset quis reducere. Circa numeros observantias Pythagoricas apud Laertium in ejus vita offendimus. De Cabbalistarum mysteriis vid. Reuchlinum & Pistorium. Quis nescit numero impari sumendas esse pilulas? vid. Delrio *lib. 1. disq. mag. cap. 4. quest. 2.* ubi numeris Arithmeticis & Musicis nullam neq; naturalem neque supernaturalem vim operandi inesse probat. Vocabulis in primis e sacra Scriptura petitis, item barbaris, orationibus pariter, præcipue Ebraicis multos effectus tribuit superstitio. De Abracadabra vid. Seldenus *de Diis Syris lib. 1. cap. 2.* Conf. Vallesii *Philosophia Sacra Cap. III.* Delrio *lib. 3. part. 2.* Multa quoque superstitiosa per circulos, per trigonum, per pentagonum committuntur; ex figurarum enim præstantia sive perfectione mathematice considerata colligunt vani homines aliquam perfectionem efficaciam seu operationis naturalis, aut supernaturalis. De Davidis Scuto seu duplici triangulo mutuo sibi innexo, quo ipso telis impervius & invulnerabilis traditur redditus vid. Schikardum *in Tarich. p. 54.* Item Athanasium Kircherum *rom. 2. Oedip. pag 2. fol. 46.*

§. 20. Ad qualitates accedimus; hic Asylum fere omnis superstitionis in qualitatibus occultis ponitur, verum quamdiu superstitiosi e talismodi qualitatibus assertiones suas volunt demonstrare, tamdiu suam ἀπειθεύσιαν orbi erudito palam dabunt. Ex notioribus enim fieri debet demonstratio, sicut accurate docuit Zeidlerus *lib. 1. cap. 11.* in sua Analytica. Sed reliqua prædicamenta percurrere, & ex iis superstitiones multiplices recensere non videtur esse ex usu magno.

CA-



## CAPUT V. De superstitionis forma.

§. 1.

Explicata materia circa quam, ad ipsam superstitionis formam accessum paramus, seu ad id, per quod superstitio est, quod est: quam alias vocant modum superstitionis; in practicis enim disciplinis negotiorum & actuum modus eorum forma dicitur.

§. 2. Superstitionis formam vero qui tenet, naturam eius solide percepit, & perfectam vanæ observantiæ definitionem ex essentiali & causali constantem; ergo ut hanc ipsam formam manifestemus, ex jure hujus tractationis sumus obligati.

§. 3. Superstitionis autem formam seu modum, per quem superstitio est superstitio, in ἀνομία tali consistere putamus, qua agens liberum contra legem divinam terminatur ad objectum aliquod tanquam causam aut medium procurandi boni spiritualis vel temporalis, quod tamen, nec ex vi sua, nec ex institutione divina, cum eo cohæret, aut ad illud procurandum aptum est.

§. 4. Nempe sicut naturæ rationali, ut tali, conveniens est, ut si quid velut medium impetrandi boni alicujus amplecti vult, illud aut ex natura sua proportionem & vim habeat ad procurandum illud, quodque eam habeat, vel certò vel saltem probabiliter cognoscatur; aut, si velut ex peculiari ordinatione divina eo facere videtur, præsto sit de eo revelatio divina, cui tuto innitamur: ita ex adverso peccatum est, & speciatim quidem superstitionis peccatum, quando agens liberum, seu homo, cui lex illa, lata & ipse cognoscendæ legis capax est, vanam rerum observantiam sectatur, atque in objecta quædam propendet, quæ nec ex se aut ex natura sua ad procurandum tale bonum faciunt

D 2

vel



vel facere possunt, neque nituntur ordinatione divina ac divinitus revelata ad talem utum & effectum; & tamen, ac si talia essent, amplectitur.

§. 5. Inclinationem agentis liberi, quæ ad voluntatem pertinet, nominantes, præsupponimus intellectus humani a veritate aberrationem; quæ aberratio fit, dum noster intellectus id, quod in se copulatum non est cum hoc vel illo effectum, sive commodo, sive incommodo, putat cum eodem coherere, idq; non tam per naturalem quandam ac ordinariam virtutem causativam ac causalitatem, quam ex occulto supremi numinis instituto, ut summo numini qualiscunque hoc modo exhibeatur cultus per istiusmodi superstitionem sive omissionem sive actionem. Quod si enim homo ad Dei cultum in aliqua actione vel omissione neq; directe neque indirecte respiciat, ejus error sive agendo sive omittendo patrus, non pertinebit ad superstitionem. Sic e. g. si auceps crederet hunc diem autumnalem sive aptiorem, sive ineptiorem esse avium capturæ, quia vel nebulosus vel serenus est, ob id superstitiosus non est. Esset tamen superstitiosus, si ob hunc illumve Sanctum, cujus memoria tunc incidit, aptiorem judicaret; hoc enim manifeste respicit religionem.

§. 6. Intellectus aberrationem sequuntur in appetitu affectus; & quidem circa bonum delectabile absens ut tale, desiderium; circa præsens, gaudium & fiducia: circa malum absens, aversatio; circa præsens, tristitia: circa bonum absens, arduum quidem fortasse, sed imperabile, spes occupatur: & hanc sequitur sæpe audacia. Alias autem si in nuda apprehensione erronea rei scibilis subsistat intellectus, cognitio hæc non est neque dici vere potest superstitio, sed tantum error. E. g. si quis nudè cognosceret, celebrationem Missæ Pontificiæ esse licitam, hæc cognitio non est superstitio, quan-



quando vero ulterius accedit actus intellectus practici di-  
stantis, Missam hic & nunc celebrandam esse ad impe-  
trandum felix matrimonium, ad valetudinem bonam recu-  
perandam &c & ex parte voluntatis actus fiducia, per  
quem illa acquiescit in celebratione Missae tanquam causa  
impetrandi istius boni; accedit & actus spei ad bonum il-  
lud hoc modo consequendum; ita fit superstitio.

§. 7. Ad hanc mentis & affectuum aberrationem ut  
plurimum externa actio aut actionis alias exercendae omis-  
sio accedit, quoad certa verba, gestus, opera. Sic mater  
impeditura fascino & alia incommoda infantis, non tan-  
tum mente concipit aliqua remedia, ut sunt speculi, cul-  
telli, in canis repositio, verum etiam metuit infanti, nisi  
haec fiant; aut securissima etiam est, si omnia illa remedia  
contra fascinationem facientia sint praesto.

§. 8. Hoc sub finem hujus capituli adjicimus, non sem-  
per requiri, ut in superstitioso actualis hujusmodi sit vo-  
luntatis intentio, sufficit enim virtualis ac interpretativa.  
Ita enim non pauci per commercium cum superstitiosis  
hominibus, aut inveteratam consuetudinem per incogitan-  
tiam, circumstantias alicujus actus non sobrie satis exami-  
nantem, similia cum aliis faciunt, & receptis eorum mo-  
ribus intempestivo aliis placendi studio vel alia de causa  
se conformant.

## CAPUT VI.

### De superstitutionis causa finali.

#### §. 1.

Omne id frustra fit, quod non fit propter finem, aut  
consequi non potest finem, cujus gratia factum est, ait  
Philosophus *lib. 2. Phys. cap. 7.* idcirco quia superstitiosi non  
frustra agere volunt, agant oportet propter certum finem.

D 3

§. 2.



§. 2. Causa finalis superstitionis est vel malum avertendum, vel bonum consequendum, quia & mali aversio & boni positivi consecutio movent bonitate sui cognita ad sui appetitionem, effectiōnem, vel consecutionem.

§. 3. Malum avertendum vel premit ipsam animam, v. g. cum conscientia hominis scelerati ægre se habet ob metum instantis poenæ ac divinæ vindictæ, ac id propter levamen per actus superstitionis flagellationis, peregrinationis &c. ab eo quæritur: vel premit corpus sive propriū, sive nostratum, ut sunt varii morbi, fames, sitis &c. ad quæ depellenda variæ fiunt oblationes superstitionis aut sacrificia: vel premit bona fortunæ, v. g. furtum, incendium & alia damna, quibus avertendis multiplex adhibetur observantia vana, v. g. panem apponendi ad numos, ne a sagis repetantur: panem, characteribus certis notatum, injiciendi in ignem, ne hic longius sæviat. Mala vero illa iterum sunt vel præsentia, vel prope futura; longe enim absentia mala non valde curant mortales. Sic qui die viridium novemplicem comedunt herbam, aut simillam cum melle, ut eo anno a febre sint immunes, illi moventur a malo avertendo quasi proxime futuro.

§. 4. Bonum consequendum quod allicit appetitum superstitionis, bonitate sui cognita, ad sui appetitionem, effectiōnem, vel consecutionem, consistit vel in nuda theoria, ac sola intellectus cognitione, qua ratione superstitiones illæ, quibus futuri casus aut eventus explorantur, huc referendæ erunt: quatenus notitia ista rerū ad nos etiam non pertinentium tamen desiderabilis est, & movet ad actus superstitionis: (verum hæc fere a præsentia aliena est superstitio) vel consistit in actuali fruitione: ut cum sponsi panem in nuptiis appositum asservant, sperantes ita perpetuo sibi affutura, quibus indigent. Denique bonum a superstitionis observatore intentum, nonnunquam est temporale sive vitam hanc



hanc naturalem aut civilem concernens, interdum est spirituale ad animam ejusque cum Deo unionem aut statum futurae vitae pertinens. Utriusque exempla varia ex antedictis constant; atque experientia docet, Papales quidem superstitiones plurimas destinari ad bona spiritualia v. g. graduum gloriae in vita altera, liberationis celerioris ex purgatorio &c. Illas vero quas alias communis vita ostendit, ad temporalia bona ut plurimum spectare.

## CAPUT VII.

### De effectibus superstitionis.

At vero cum superstitio omnis per se turpis sit ac detestanda, ita non nisi pessimi ex eadem fructus possunt sequi. Est inter illos (1) stoliditas, quam tacti superstitione homines tegere vix possunt. Unde etiam Augustinus illos ridet, qui canem pariter ambulantes intercurrentem ferire audent, vano autem illo remedio efficiunt, ut ille irritatus percussorem suum ad verum medicum mittat: *L. 2. de D. C. c. 20.* Eademque ductus ratione Cicero superstitionem saepe *anilem* appellat, dicitque *Lib. de divin. Omnis superstitio imbecillis animi atque anilis est.* Est (2) propinquum stoliditati vitium *timiditas*, quae ex superstitione nascitur. Pulchre in hanc rem Cicero *lib. de invent. in superstitione*, ait, *inest inanis timor Deorum, cum scil. timemus, ubi nullus debet esse timor.* Plura de his habet Plutarchus *de superstitione.* Hinc fit, ut supersticiosi saepenumero timeant vitam & felicitati suae, cum egressi forte domum superstitione adversus ingruens periculum remedia secum non exportaverint. Sunt, qui, ubi mane surgentes sinistrum prius pedem sustulerunt ex lectulo, nescio quam infelicitatem per illum diem



diem sibi ominantur. Et Augustinus l. c. timidos illos perstringit, qui domum redeunt, si procedentes offenderint, aut cum vestis roditur a soricibus, plus timent suspicionem futuri mali, quam praesens damnum dolent. Alias autem Theophrastus descripsit superstitionem Graecis dictam Δεισιδαιμονίαν, quod sit δειλία πρὸς τὸ δαιμόνιον meticulosus erga Numen affectus. Char. Eth. 17. Sed & (3) magna interdum temeritas comitatur superstitionem. Hinc videas hoc imbutos vitio spernere omnia pericula, quae cadere alias in humanam fragilitatem possunt. Non hic morbos curat, non in praeliis arma, & hostiles insultus, a quibus se suis artibus satis praemunitum putat. Pertinet huc indusium illud necessitatis, ut vocant, Germanis *nobthendit*/quo induebantur prisca Germani, ut in bellis a quocunque telorum ictu, & armorum injuriis liberi perdurarent, & quodvis aliud corporis incommodum declinarent securi. Eo quoque usae sunt parturientes, ut citius tutiusque foetum deponerent; ut habet Joh. Wierus de praestig. Dam. lib. 5. cap. 28. Hoc vero indusium, quanta superstitione, ne plus dicam, sit adornatum, atque a maximis etiam viris usurpatum, vid. ap. eund. loc. cit. Porro (4) *Pertinacia* deprehenditur in superstitiosis, qui semel illo vitio inescati, ab eo aegre depelli possunt. Videbitur hoc in regionibus & urbibus, in quibus superstitio aliqua semel invaluit, illam nullis actibus tolli iterum posse, sed a proavis ad seros usque nepotes propagari; sicut etiam ex Papatu & ipso Paganismo multa ejusmodi deliramenta ad nos usque transierunt; ut non abs re dicas cum Poeta: *Tantum religio potuit suadere malorum*. Solet etiam (5) superstitio homines *superciliosos* efficere, atque ut rigida censura alios vexent, festucam in oculo fratris observantes, de trabibus suis securi, juxta Matth. 7. v. 3. Accedit (6) caecus ille *fervor*, quo ut aniles suas fabulas & ludicras suas opiniones defendant, multi omnibus viribus contendunt. & saepe



sæpe contradicentes sibi in eo negotio inexpiabili odio prosequuntur, quod videre est ex Camerario *cent. 1. cap. 40. p. 188. hor. succif.* Denique (7) notandum, quod malum hoc, ea nonnunquam capiat incrementa, ut, in nefandam Idololatriam, turpissimam magiam Diabolicam degeneret. Hoc patet ex Wier. *lib. 5. prestig. Dem. cap. 17.* Similia habet Heinsius in *Aristar. cap. 7. ad Joh. 5. 9.*

§. 2. Cave autem ne hic confundas cum religiositate ipsam superstitionem. Ideoque primum quidem, cum occasio obtingit agendi aut omittendi aliquid in ordine ad certum effectum; neque ulla apparet proportio secundum vires naturæ & post diligentem inquisitionem inter actionem aut omissionem illam & effectum; periculum superstitionis præsto esse cogitandum est. Sic si cui ægroto offerantur res viles certo ritu verbisque adhibitis collo appendendæ, haud quaquam utendum est, nisi ritibus & verbis illis omissis, idem effectus promitti possit.

§. 3. Alias autem diffitendum non est, quod pro superstitionis actionibus aliquando habeantur, quæ tales non sunt. Ita enim non sunt ferendi, qui superstitionis insimulant Botanicum, quod in hoc vel illo potissimum mensis die, herbas sic magis ad sanandum idoneas colligit; aut architectum, qui constituta anni tempestate cædi ligna curat, ut cariem non sentiant, & quæ sunt alia. Nam negari non potest, esse naturæ sua arcana, & vim insitam rebus naturalibus, quæ statuto anni tempore magis quam alias emineat & sese exerat. Quod si observarint homines, non injuste fecerint, præsertim cum longa experientia illud ipsum docuerit. Sic etiam non possunt penitus improbari rusticæ illæ observationes, quibus anni tempestates dividunt, aut agriculturam dirigunt, imprimis si physicæ aliquæ rationes subsint.

§. 4. Quocirca id unice saltem respiciendum est, an  
E nul-



nulla possit dari ex principiis Physicis ratio, aut ex moralibus aut ipsis sacris pandectis, quæ probet quod huic actioni aut omissioni competat virtus tale quid efficiendi. His enim deficientibus redolebit res superstitionem, licet interdum sequatur effectus intentus. Erit namque ille in hoc casu non efficaciam rei aut ordinationi divinæ, sed ipsis Satanæ insidiantis felicitati nostræ, machinis artibusque tribuendum, quibus ille dum Deus permittit, a vero cultu divino abstractos homines ad vanas superstitiones traducit. quorum illud pertinet quod 2. *Thess.* 2. v. 10. 11. dicitur, *Deum illis, qui dilectionem veritatis non receperunt in hoc ut salvi fierent, efficaciam illusionis immittere, ut credant mendacio.* Quotiescunq; igitur audies recitari verba inusitata, & videas adhiberi ad depellenda pericula characteres tibi ignotos, aliasque circumstantias ad id quod effici debet, nihil ex se facientes, aliaque commenta, sedulo cavebis, ne illa usurpando jure reprehendaris, serves potius mentem incorruptam atq; ab omni superstitione prorsus intactam.

## CAPUT VIII. De superstitionis remediis.

### §. I.

Inter hæc conquirenda undiquaque remedia sunt, quibus imitari huic malo queamus. Primum autem ac fortissimum omnium contra hoc malum remedium videtur esse, si accuratius consideraverimus, rigorem generalis præcepti divini, quod habetur *Deut.* 12. v. 8. & 32. *Ne faciat quisquis quod in oculis ipsius rectum videtur, sed quod præcipio tibi, hoc tantum facias, nec addas quicquam, nec minuas.* Sic enim damnatur omnis actus, quo sub specie religionis, sed præter verbum Dei, aliquid fit, itemque ommissio actus alias exercendi ad quem homo velut religione prohibente accedere non audeat.



det. Hoc autem cognito, quidni absterreantur homines ab observantia vana aut superstitione, qua vel committitur aliquid tanquam ad cultum Dei pertinens, quod Deus non præcepit, vel omittitur, tanquam cultui divino adversum & bono spirituali consequendo obstans, quod Deus non prohibuit: vel tanquam medium ad bonum temporale faciens adhibetur, quod tamen Deus neq; ut auctor naturæ, neque ex peculiari revelatione atque adeo beneficio singulari hominibus suppeditat aut indulget. Ita enim vel additur aliquid præceptis divinis vel detrahitur. Verum hoc ipso 2. terrere possunt ac debent comminationes divinæ transgressoribus legis paratæ; adeoque 3. damnum ingens & poenæ superstitionis. Quamobrem etiam 4. sanctis Patribus sive Doctoribus Ecclesiæ exosa fuit superstitio: & Chrysostomus *orat. 1. adv. Jud.* scribit: *Quod fit præter Dei voluntatem, ac secus quam ille vult fieri, quanquam existimetur acceptum Deo, tamen est omnium pessimum; Conf. ejusdem hom. 21 ad pop. Antioch. August. lib. 2. de doct. Christ. cap. 20. Ambrosius in Ep. ad Gal. 4. 10.* Imo vero 5. & Gentiles saniores sæpe admodum deprehenduntur superstitiones velut anilia deliramenta contempsisse. Et Pericles quidem, referente Plutarcho, ægrotans amico cuidam invisenti ostendit amuletum collo sibi circumligatum a mulieribus, addens, pessime se affectum esse, qui talem stultiam in se admisisset. Sic novimus ex Ammian. Marcell. *lib. 19.* relatione, decretum fuisse a Constantio, ut si quis remedia quartanæ aut alius doloris collo gestaret, seu per monumentum vespere transisse argueretur, tanquam veneficus, sepulchrorumque horrores & errantium ibidem animarum ludibria colligens vana pronuntiatus reus capitis interiret.

§. 2. Hæc dum omnia recte meminerimus, multum quoque nostrum intererit, si mundanis rebus omnibus post habitis studeamus soli placere Deo, inque ejus placidissima



¶ voluntate unice acquiescamus. Ita enim a temporalium bonorum desiderio immoderato immunes tanto minus per inepta facta aut gestus ad impetranda ea tendemus: absentiam autem aut jacturam eorum & opposita mala tristitia minus timebimus aut ea propter dolebimus aut superstitionis actibus avertere conabimur: quippe in Deo quiescentes Deumque orantes ut ipse si velit, tristes omnes a nostris cervicibus, casus averuncet, aut saltem det eas animi corporisque vires, quæ pares incubituris esse periculis possint. Quamobrem, si quando videas concurrentes in aëre depugnantium exercitus, pluresque soles in cœlo aut lunas, aut cometas vel alia quibus homines terreri solent; ac dubium est, anne quæ apparent, ex causis naturalibus sibi relictis traxerint originem, an Deus naturæ auctor & quoad applicationem causarum naturalium ad agendum libertate sua sæpe utens ac providentiæ indicia exhibens, singulare quiddam triste immisurus sit. Itaque nec est, cur superstitionis notam incurrere statim dicatur, qui tristiora facta conjicit; Deus tamen potius, quam signa ista respici debet, ac fiet, ut hominis animum ad nutum arbitrii summi numinis compositum nullæ superstitionum voces & machinæ movere possint.

§. 3. Sed & 3. non parum faciet ad declinandam superstitionis labem, si occasionem ad hoc vitium omnem sedulo vitemus, neq; conversemur multum cum hominibus, qui his vanitatibus dediti sunt: nec nisi præmuniti legamus libros, qui pleni sunt vanis istis ludibriis; & quos novimus ab ipso Spiritu Sancto esse condemnatos. *Act. 19. v. 19.*

§. 4. Denique in omnibus circumspicte & caute agamus necesse est, ne quid admittamus temere, quod ab aliis commendatur remedium, priusquam & substantiam actus & τὰ περί αὐτῆς ad normam legis divinæ examinaverimus, scilicet ne ad actum in substantia non malum accessuri per  
ad-



adhærens quoad hanc illamve circumstantiam vitium, vel  
imprudens labamur. Inprimis vero & quanquam bene  
consideratis omnibus rerum circumstantiis, memores ta-  
men nostræ infirmitatis & seductionis multiplicis, supplica-  
bimus sine intermissione Deo O. M. ut ab hoc tetro su-  
perstitionis malo quam diutissime intactos incolumes-  
que præstare velit. Cui sit laus honor & glo-  
ria in secula seculorum Amen.

---

**H**actenus ingenium claras diffundit in artes  
Et patrium soboles æmula calcat iter.  
**S**tat Juvenis, monstratque suæ nunc robo-  
ra mentis

Inque viros animo fervidiore ruit.  
Prælia docta parat, discedit victor arenâ,  
Et verum specie splendidiore colit.  
Quò virtus ivit, properet jam gloria cursu  
Et latè patrias pervolet illa plagas.

*Doctissimo Dn. Resp. Commensali hono-  
rando scrib.*

**FRID. Beshmann/D. P. P.**

---

**V**ana superstitionis, mortalibus exitiosa,  
Laudis materia est, docte BODINE, Tuæ  
Scilicet ut caveant humana superstitionem  
Pectora, vim vitii & pharmaca certa doces.

*Disputationis præsentis*

**AUCTORI**

*Amico suo honorando & dilectissimo specimen doctri-  
næ publicum gratulatus scribebat*

**PRÆSES.**



De vanâ Tibi sermo superstitione. Superstes  
hinc fiet usque Tuô nomine fama, precor

CASPAR POSNER, P.P.

---

Cur Tibi non grater? sacro plaudente Senatu  
dum doctas abiens discutis arte theses.

Certe magnus honos & præmia magna sequentur,  
si modo, cœpisti quo pede, semper eas.

*Nobiliss. & Clare Docto Dn. Respondenti Imque ad-  
plauderam, propitios vales comprecatus*

L. VAL. Belthem / P.P.

---

Masculus ore Tuo, calamis quæ scripta, tueris,  
Masculus inde Tibi surgere cœpit honos.

Surgere cœpit honos, majoraque spondet Apollo;  
Credo, nec est istud vana superstitio.

*Hiscæ CL. DN. AUTORI Respondenti  
adplaudere voluit*

M. IO. ANDR. Schmidt /

Fac. Phil. Adj

---

Pingitur ut variis umbrosa coloribus Hybla,  
ver breve, Sicaniæ cum populantur apes;  
Ut varii verno jam crescant tempore flores,  
contrahit & vires quælibet herba suas:

Sic quoque BODINI Clari clarissima virtus  
pullulat ingenii, nunc viret omnis honos.

Ex-



Exsere Te virtute Tua, fortissime arenam  
Phœbi nunc in eas, victor & inde redi.

*Hæc paucula*

*Clarissimo Domino Respondenti, Fautori suo æta-  
tem colendo adponere debuit*

**M. CHRISTIANUS ANDR. Oberländer.**

---

Sic dextrè tibi fervet opus æqui digna Parente  
Tantò progenies, condecorare genus  
Niteris ingenio: sic non incerta sequetur  
Sed facilem inveniet spes tua Amice viam.

*Quod medullitùs vovet  
Dn. Resp. Amico suo intege-  
rimo*

**I. D. V. C.**

---

Quæ terris funesta lues! O turpia mundi  
Fœdera! Quo vesana ruis, vanissima Tellus?  
Scilicet, ut citius deludat cœca Tyrannus  
Pectora Tartareus, vastetque inmanius Orbem.  
Ecce! SUPERSTITIO Miseros fœdissima quos non  
Perdidit? Heu! quos non nostra de gente triumphos  
Extulit & quanta fœdavit secula labe?  
Occidit eheu! cura Dei, jus fasque piæque.  
Has, BODINE, vides strages, hæc funera spectas,  
Sed tamen invitus. Quin exitiabile damnum  
Nunc, ais, eruimus terris, & vincimus hostes.

Nec



Nec mora. BODINI calamo Cacodæmonis  
omnes

Detegit larvas veri studiosior Axis;  
Apparent foedæ facies mutataque monstra.  
Hoc videt Eusebie, & dicit, quæ præmia nostro  
Victori? vade O celeri Victoria gressu,  
Sudantemque Tua Lauro deterge laborem.  
Macte animo, BODINE, Tuo Magnique PA-  
RENTIS

Insta vestigiis, dignisque aliquando brabéis  
Utere & illustra tantis Tua nomina cœptis.

*gratulabundus adjecit*


I. A. Krebs/ Phil. Stud.




































B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

11

QVOD DEUS BENE VERTAT!  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
**SUPERSTI-**  
TIONE, SEU VANA OB-  
SERVANTIA,

*QVAM*  
DEO CLEMENTER ANNUENTE ET DIRIGENTE,  
*SUB PRÆSIDIO*

DN. JOH. GUILIELMI BAJERI,  
SS. THEOL. DOCTORIS, EJUSDEMQUE IN AL-  
MA SALANA PROFESSORIS PUBLICI,

DN. PRÆCEPTORIS, AC PATRONI OMNI OB-  
SERVANTIÆ CULTU ÆTATEM PROSEQVENDI,  
*AD DIEM V. MAJI* *May 1682*  
IN AUDITORIO THEOLOGICO

*PUBLICE DEFENDERE ALLABORABIT*  
AUTOR  
DANIEL JACOB BODINUS,  
RINTHELIENSIS.

JENÆ, Literis BAUHOFERIANIS, Anno MDCC LXXXII.

